



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fasti Mariani

Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

Conversio S. Pavli. 25. Ianuarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

NVM & EPPOLONIVM dixere) lectissimos floscu-  
los, & quos mellitissimis verbis pridem sibi magi-  
ster BABYLAS conciliarat. Poterant hi in ruborem  
etiam Spartam dare, tam forti animo vel alapas  
devorabant, vel plagas concoquebant, quæ cum  
pro numero annorum singulis ingererentur, do-  
luere scilicet, non Pyliam sibi ætatem esse. Stabat  
inter hæc egregius Doctor, oculosque discipulo-  
rum virtute pascebat, animisque identidem ani-  
mos de suis addebat. Quid multis? ferro omnes  
cæsi, & magister discipulis, discipuli magistro  
sunt immortui. Tam mordicus, semel virtute ma-  
gistrorum capta juvenus lateri eorundem hæret.  
Cæterum BABYLAS vincula nec mortuus dimitte-  
re, sed in tumultum asportare voluit, id quod erat  
ratus, nullos expeditiùs ad cælum pedes currere,  
quàm vinctos pro cælo. *Ex Surio.*

*Si vis ad perfectionis fastigium provehi, amodo ne-  
cesse est, in cunctis virtutum studiis exerceri, vide-  
licet dum ætas tua cerea est, dum mores teneri in  
quamlibet partem valent indifferenter adduci; cum  
ipsis corporalibus incrementis coarva virtutum exer-  
citia coalescunt. S. Petrus Dam. l. 6. Ep. 26.*

CONVERSIO S. PAVLI 25. Ianuarij.

**A**Nnus, qui post CHRISTI ad Superos redi-  
tum erat secundus, idem secundissimus SAV-  
IO fuit. Hoc enim ille, personam feliciter positam,  
PAVLUM induit, adnitente potissimum apud DEVM  
D. Stephano, non minus tum in cælis, quàm terris  
olim pro hostibus suis piè sollicito. Ibat SAVIUS  
minarum plenus, & in vincula ipsam (si Superi si-  
nerent) fidem tracturus; cum ecce tibi subita ab  
alto vis fulgorque audaciam attonito omnem ex-  
cutit

C

cutit

currit, & feroces humi spiritus cum domino suo affligit, simul vox istiusmodi cælo intonat: *Saule, Saule, quid me persequeris?* mox sciscitanti: *Quis es Domine?* responsum redditur: *Ego sum IESVS Nazarenus, quem tu persequeris.* Atque hæc demùm vox illam nobilissimam expressit: *Domine quid me vis facere?* Ergo Damascum conferre se iussus, eò p̄ comitibus, & ipsi rerum gestarum miraculo stupentibus abducitur. Ibi triduum apertis oculis cæcus ac jejunus ab Anania demum & oculorum, & quod caput est, fidei donatur lumine. Hoc ille deinceps per omnes provincias circumferens tot gentibus accendit, ut rem mihi attentius consideranti unus quidem hodie cecidisse PAVLVS, cæterum surrexisse cum PAVLO totus orbis videatur *Ex Act. Apost.*

*Sicut modo nemo est, qui reconciliari non possit, ita post paululum nemo, qui possit. Noli ergo contemnere Dei misericordiam, si non sentire vis justitiam. S. Bernard. serm. 1. in Epiph. Dom.*

## S. P O P P O C O N F. 25. Ianuarij.

**V**ideretur Poppo ad gloriam paternam bellicamque laudes ab ipso matris utero properasse. Etenim jam tunc latere respuens septimo statim mense in lucem, mox ubi per ætatem licuit, ad bellum prodijt. Pietatem tamen comitem secum traxit, & subinde ad vestigia Christi Ierosolymam, aliàs Romam ad Principum Apostolorum limina invisit. Redux, dum nuprias casque illustres cogitat, jamque ad has equo properat, cælesti luce se animumque atque aded hastam etiam suam fulgere animadvertit. Inde omen auspiciumque melioris militiæ capit, & sacramentum apud monachos